

Beda (f) in quadam Decretali docemur, bonaque omnia (ut vel in proverbium abiit) ea premente, communia reddi; neque tunc esse, cur Ecclesiae, vel Ecclesiastici de ejusmodi subventionibus queri possint, cum aequè in ipsorum, ac laicorum tuitionem proficiant, ex quibus simul Regni, vel Reipublicae corpus conflatur. Et non minus vulgare, quam verum sit illud D. Ambrosii (g) documentum: *Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut erogat, & subveniat in necessitatibus. Quid opus est custodire, quod nihil adjuvat? An ignoramus quantum auri, atque argenti de Templo Domini Assirii sustulerunt? Nonne melius constat Sacerdos, propter alimoniam pauperum, si alias subsidia desint, quam sacrilegus contaminata asportet hostis? melius fuerat, ut vasa viventium servares, quam metallorum, &c.*

30 Similis est in eadem sententia Divus Hieronymus (h), inquam, gloriam Episcoporum esse, inopiae pauperum providere, & ignominiam Sacerdotis propriis studere divitiis, satiusque esse privatis, & publicis necessitatibus subvenire, quam Templorum parietes marmore nitere, auro splendere laquearia, & gemmis Altare distingui.

31 Qui sanè locus Nos ad illam quæstionem vocabat, an expediens sit, vel fuerit, Ecclesias, & Ecclesiasticos pluribus divitiis, & redditibus abundare? In quam negantem sententiam Bodinus, Cunerus, & alii passim ex sectariis defendunt, illud Persii (i) inter alia commemorantes.

Discite Pontifices in sacro quid facit aurum?

Et Annæus Robertus (k) plura in id ipsum loca sanctorum Patrum diligenter expendit. Ajentem verò Patricius (l), Rangolius (m), Marquez (n), Vazquez (o), Contzen (p), Suarez (q), & Catholici omnes (r) nervosè propugnant, & ipse idem Annæus Robertus non minus strenuè in ejus defensione, in emergenti quadam Carthusianorum causa, se habet.

32 Omnes tamen sub ea cantione, ne ejusmodi divitiarum, & Reipublicae, & ipsis Ecclesiasticis, præsertim Monachis, damnosae potius, quam utiles sint, seque earum, non tam Dominos, quam Oeconomos, & Fideles dispensatores esse sciant. Adeoque id omne quod decenti Templorum cultui, & ipsorum sustentationi supererit, in alimoniam pauperum erogent, & aliis urgentibus Reipublicae utilitatibus hilariter offerant.

33 Alioqui malè poterunt, divitiis suffarcinati, Christum pauperem sequi, & Divi Prosperii (s) consilium spernere videbuntur, qui eos qui Deo militant ex toto corde, divitias fugere debere commonuit: *Quas qui habere volunt, sine labore non quaerunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine anxia delectatione non possident.*

34 Sæpèque illud esse verissimum experiemur, quod jam suo tempore prævidit Divus Hieronymus (t), & nostro longè magis aptatur: *Sunt ditiores Monachi, quam fuerant seculares. possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerant, & sustinet eos Ecclesia divites, quos tenuit mundus antea mendicos. Tratus in paupere domo, & in tugurio rusticano, qui vix millio, & cibario pane rugientem saturare vatreæ poteram, nunc similiam, & mella fastidio.*

35 Ac planè, quamvis negari quoque non possit Templorum nobiles fabricas, pretiosioresque ornatus commendari debere, quia ut Divus Bernardus (u) inquit, & Tridentinum (x) diffinit, carnalis populi devotio, quia spiritualibus non potest, non corporalibus solet ornamentis excitari, adhuc tamen memoria dignum semper existimavi illud Bonifacii Episcopi, & Martyris Apophthegma, qui dicere solebat (y): *Olim Sacerdotes aurei, utebantur calicibus ligneis: nunc lignei Sacerdotes, utuntur calicibus aureis.* Quod referens quidam nostri temporis satis pius & doctus Scriptor (z), aliud simile se audisse inquit de Templis recentibus, & antiquis prædicari: *Quondam erant Christianorum Tempia obscura, & corda lucida: nunc Tempia sunt lucida, corda vero obscura.*


36 Ac certè secundum Eruditissimi & Eminentissimi Cardinalis Bellarmini (a) censuram, tametsi hæc Templorum, & ornamentorum Magnificentia, instructis, & dotatis à Principibus notari non possit; in Monachis tamen jam dudum à Divo Bernardo (b) notata comperitur; & in S. Brigittæ Revelationibus (c) legimus, Magis placere Deo cor humile in humili Ecclesia, quam alti muri, in quibus corpora sunt intra, & corda ab extra. Atque ideò non debere arcas auro, atque argento implere propter ædificia, quia non profuit Salomoni ædificasse tam sumptuosa ædificia, ex quo neglexit eum diligere propter quem ædificabantur. Idemque ipsum super Templorum, & ædificiorum splendore, & ornatu, quem Regulares plerique affectant, & sollicitè conquirunt, censuerunt Patres Concilii Viennensis, cujus Canon, de hoc agens in Clementina quadam (d) refertur, ad quam, quia omnibus obvia est, Lectorem remitto.

EM

(f) Beda in Marc. cap. non est licitum, de reg. jur. Val. Max. lib. 7. tit. de necessit.
 (g) D. Amb. lib. 2. de offic. e. 28. relatus in aur. 12. q. 2.
 (h) Div. Hier. in epist. ad Nepot. de vit. Cler. relatus in sup. gloria Episcopi, dist. caus. 12. quæst. 2.
 (i) Pers. Satyr. 2.
 (k) Ann. Rob. lib. 2. rer. jud. cap. 2. in 1. part.
 (l) Patric. de Regn. lib. 9. cap. 18.
 (m) Ragot. in 1. Reg. cap. 10.
 (n) Marq. in Gab. Christ. lib. 2. cap. 16. fol. 123.
 (o) Vaza. de reddit. Eccles. cap. 1. §. 3. dub. 3.
 (p) Contz. lib. 6. Pol. cap. 26.

(q) Suar. in defens. Fidei, lib. 4. cap. 17. & seq.
 (r) Reinos. in defens. Pat. Eccles. §. 4.
 (s) D. Prosp. de vir. contemp. lib. 2. cap. 12.
 (t) Div. Hier. in epist. ad Heliod.
 (u) Div. Bern. in Apol. ad Guillem. in fine.
 (x) Trident. sess. 22. cap. 5.
 (y) Fr. Mart. de Vera lib. de inst. Eccles. cap. 24. §. 15.
 (z) Pat. Jacob Pont. in bellar. Attic. 2. part. pag. 389.
 (a) Bellarm. 2. tom. controver. lib. 3. cap. 6.
 (b) Div. Bernard. in Apol. ad Men. Cluniac.
 (c) Sancti. Brigitt. lib. 3. cap. 18. circa finem.
 (d) Clem. coivi de Paradiso, de verb. sign. §. volumus.

EMBLEMA XLI.
LARGUS IN PAUPERES.



*Pauperibus largus Princeps, quem vellicat uxor,
 Fortè Crucem lapidi vidit inesse domi:
 Syderibus dignum lapidem tellure revelli
 Fussit, ubi argenti Copia subter erat.
 Quod miseris donat dives, Deus ipse rependit,
 Colligit ac veluti semina jacta solo.*

COMMENTARIUS.

Non solum in Tempa Templorumque Ministros, Regalis Munificentia debet sua fræna laxare, sed in Pauperes etiam, qui Ecclesiae columnæ à Divo Hieronymo (a) vocitantur. Ut enim Imperialis fortuna, Justiniano (b) monente, ceteras supereminet aliàs; ita oportet Principales in hac erogatione liberalitates culmen habere præcipuum. Quæ Græco nomine *Eleemosyna*, quasi *Misericordia* dicitur; & secundum Theologis (c) diffiniri solet: *Opus in quo datur aliquid indigentibus, propter Deum.* Qui ipse verus Regum omnium Doctor, & Doctor, Fons est & Auctor omnium bonorum, omnibus benè faciens, & de quo Regius Vates (d) scripsit: *Oculi omnium in te sperant Domine, & Tu das illis escam in tempore opportuno. Aperis Tu manum tuam, & imple omne animal benedictione.*

2 Unde in sacra Pagina, Sancti illi Reges, ac Principes Dei Ecclesiae Nutritii, Joseph, David, Josaphat, & Josias, qui in hac virtute excelluerunt, plurimum commendantur & Abdias, qui centum Prophetas pascebat, ut in libro Regum (e) habetur. Meritòque Div. Augustinus

(a) Div. Hier. epist. 2. ad Nepotian. relatus in cap. gloria 12. quæst. 2.
 (b) Justin. in leg. cum multa, C. de bon. que li. her.
 (c) Theolog. in 4. sent. dist. 15. Div. Thom. & reliqui 2. 2. quæst. 21. art. 13.
 (d) David Psalm. 114.
 (e) 1. Regum 18.

gustinus (f), & Laſantius Firmianus (g) impium illud Stoicorum dogma exilio damnant, qui Miſericordiam inter animi morbos annumerabant, & inter vitia, eleemoſynam facere recenſebant.

3 E quorum ſecta eſſe videtur ille, qui apud Plautum (b) dixit:
Malè meretur, qui medico dat, quod edat, aut quod bibat.
Nam & illud quod dat, perdit, & illi producit vitam ad miſeriam

Et ille Lacon apud Plutarehum (i), qui medico ab eo ſtipem petenti. Si darem (inquit) tibi eò magis vindicareſ. Nam huic tuæ deformitati cauſam præbuit, iis, qui primus tibi dedit, ea- que te ignavum reddidit. Immitis quidem, & inhumana ſententia.

4 Quanto Salomon (k) melius, qui per miſericordiam, & fidem, iniquitatem redimi, & peccata purgari docet, & hoc magis Domino placere, quam victimæ. Eccleſiaſticus (l) in- quiens: Pauperi porrigere manum tuam, ut perficiatur propitiatio, & benediſtio tua; & Chriſtus Dominus, ac Præceptor noster, qui nobis miſericordes eſſe, & dare eleemoſynam jubet (m), & amicos facere de mammona iniquitatis, ut cum defecerimus, recipiat nos in æterna taber- nacula. Et Div. Ambroſius (n) egregie eos, qui omnia ſibi vendicant, & nihil cum pauperi- bus communicant, hiſ verbis reprehendens: Quouſque extenditis divites inſanas cupiditates? Numquid ſoli habitabitis ſuper terram? Cur ejicitis conſortem naturæ, & vindicatis poſſeſſio- nem naturæ? In commune omnibus, divitiis, atque pauperibus, terra fundata eſt, cur vobis jus proprium ſoli divites arrogatis? Nescit natura divites, quæ pauperes omnes generavit: nudos fudit in lucem, egentes cibo, amictu, poculo: nudos recipit terra, quos edidit, nescit fines poſſeſſionum ſepulchro includere, &c.

5 Quod Monitum, cum Regibus dirigatur, plurimorum quoque Regum, & Imperatorum exemplis ſuadere poſſem, qui in ejus excelluerunt obſervatione, quorum copioſum Catalogum noviffimus Beyerlinchius (o) nobis exhibuit: ſed placuit, præſens Emblema ex illo Tiberii II. Imperatoris Conſtantinopolitani, formare, qui, ut poſt Eutropium (p), plurimi Auctores (q) ſcribunt, ita copioſe bona pauperibus erogabat, ut ob hoc ſæpius ab Imperatrice conjuge objurgaretur. Cui ille, ne turbaretur reſpondit, Deumque ſiſco uberrimè proviſorum; cui, ut Salomon (r) di- xit: Qui miſeretur pauperi ſeneratur. Accidit autem, quòd altera die per Aulam Regiam deam- bulans, marmoreum vidit lapidem, ſigno Crucis ſculptum, pedibus conculcari, quòd cum nefas eſſe ceuſiſſet, & ut irreligioſum à Theodoſio, & Valentiniano Imp. peculiari ſanctiõne (s) pro- hibitum, illum protinus erui, tollique præcepit, ſub quo tamen alius, & deinde tertius, eodem ſigno ſignatus, apparuit. Quibus tandem eodem modo elevari mandatis, mox inæſtimabilem theſaurum, ſupra mille auri centenaria habentem, invenit, ex quo pauperibus, adhuc abundan- tius, ut conſueverat, ſubminiſtravit. Et in hujus ardentis caritatis præmium, alium poſtmo- dum, ingentioſum à Narſete quondam in quadam urbe Italiae reconditum, ſene quodam manifeſtante, adinvenit, ex quo etiam ipſe hilari erogatione diſpenſavit egenis.

6 Quam hiftoriam, ſimulque aliàs, quibus virtus eadem ſuadetur, recenſet etiam Ambro- ſius Marlianus (t), & ex ipſis hoc pium anxioſa deducit:

Ne ſis ipſe miſer, miſeris ſuccurrere diſce
Dives opum eſt inopi, qui dare novit opem.

Hoc eſt enim quod Deus, qui nec falli, nec fallere poſteſt, eleemoſynariis promittit, dum in Proverbiis (u) ore Salomonis enuntiat: Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de pri- mitiis fragum tuarum da pauperibus, & implebuntur frumento borrea tua, & vino torcularia redundabunt.

7 Ad quem locum, & alia ſimilia, quæ de centuplicato ejusdem erogationis fœnore agunt, reſpiciens D. Chryſoſtomus (x): Qui facultatem (inquit) tribuit pauperi, ipſe eſt qui beneficio fruitur, centupla nempe fœneratione recipiens. Sicut enim qui ſeminat, cum jacit granum, non perditum credit, ſed multiplicandum expectat in meſſe; ita qui eleemoſynam ſeminat, non amittit panem ſuum, ſed multiplicat etiam in hac vita.

Nec minùs piè, & eleganter Divus Ambroſius (y), illum verè eſſe divitem docuit: Qui in Deo

(f) Div. Auguſt. tom. 1. lib. 1. de morib. Eccleſ. Ca- tholic.

(g) Laſant. lib. 6. divin. inſt. cap. 11.

(b) Plaut. in Trinum. Act. 2. Scen. 2.

(i) Plutarc. in Apoph. Lacon.

(k) Proverb. 15. 27. 16. 6. 21. 3.

(l) Eccleſ. 7. 33.

(m) Luc. 6. 36. 16. 9.

(n) Div. Ambros. in lib. de Nabuthe cap. 1.

(o) Beyerlinch. in Theat. lit. E. ex pag. 68. & lit. L.

ex pag. 90. ad 94.

(p) Eutrop. lib. 17. rerum Rom.

(q) Gregor. Turon. lib. 5. cap. 20. Paul. Diac. in hift.

Long. lib. 6. cap. 3. Aimoin. de gerit. Franc. lib. 6. cap. 19.

Baron. tom. 7. pag. 851. Camer. 1. tom. cap. 63. & 2.

cap. 73.

(r) Proverb. 19.

(s) L. unic. C. ut nemini liceat ſig. Salvat. Chriſti, &c.

(t) Mart. in Theat. Polit. cap. 25. ex pag. 256.

(u) Proverb. 3.

(x) Div. Chryſoſt. in Gener. hom. 27.

(y) Div. Ambros. in ſerm. de miſ. & in 1. Timoth. 6.

dives eſt: qui miſericordia opulentior, quam divitiis, facultates ſuas cum pauperibus dividit: qui lo- cupuletem, dando, magis quàm habendo, ſe oſtendit. Qui ad hoc ſe meminit habere divitias, ut feneretur Deo, paſcat Chriſtum, veſtiat Dominum: qui patrimonium ſuum non ingrato heredi be- redi relinquere; ſed per pauperes illud Chriſto deſiderat commendare: qui divitias cælo magis, quàm mundo commendat; qui deſiderat potior eſſe opere, quàm ſuæ ſubſtantiaæ facultate: qui theſauros ad ſuperna tranſmittit, qui ad hoc vivit, ut operetur; qui ad hoc operatur, ut in æternum vivere me- reatur: qui viduarum caſibus fleſcit, & pupillarum miſeria commovetur. Hoc nitamur, ut bonis factis divites ſimus, & hiſ terrenis copiis, ſpirituales divitias acquiramus. Seminemus in terris, ut metamus in cælis, ubi theſaurus collocatur æternus.

8 Sed quia nec omnia, nec obvia noſtris, hiſce commentariis inſerere volumus, omiſſis aliis Sanctorum Patrum, quæ in hoc ipſum tendunt ſententiis, & paſſim apud varios Auctores (z) reperiuntur, ſatis hujus caritatis fervorem, & præmia divina, quæ cum manent, Reges, ex Carolo Magno, qui & ipſe Rex, & Imperator magnificus extitit, diſcere poſſunt, qui non con- tentus duodecim pauperes quotidiano paſtu prope ſuam menſam habere, præter alia, quæ eis li- beraliter largiri ſolebat, auream quoque menſam, item tres argenteas pretioſiſſimas vendi, & eis- dem per ſuos Archiſclaves diſtribui mandavit.

9 Satis ex Divo Ludovico Francorum Regem, qui, ut in ejus vita Jonvilus (a) enarrat, quo- cumque locorum ſe conferebat, centum & viginti pauperes, & tempore quadrageſimæ duplicato numero, per ſingulos dies cibus Regiis aledat. Melius hos ſumptus in eos, quam in luxum, ut alii ſolent, conferri inquit, & hac ratione opes & Regnum ſtabiliri.

10 De Zenone quoque Conſtantinopolitano Imperatore refert Baronius (b), revelante Virgine Dei Genitrice propter eleemoſynarum erogationem, divinam vindictam, quam pro violato ſtu- pro meruerat, evaſiſſe.

11 In Oſualdo etiam Anglorum Rege (c), & ipſo Anglo (d) eadem adèd virtus enitit, ut cum die ſancto Paſchæ, cum Aldano Epifcopo conſediſſet ad prandium, po- ſitusque eſſet in menſa coram eo diſcus argenteus Regalibus epulis referus, jamque eſſent manus ad panem benedicendum miſſuri, intravit ſubito miniſter ipſius, cui ſuſcipiendorum inopum erat cura delegata, & indicavit Regi, quia multitudo pauperum undequaque adveniens maxima, per plateas ſederet, poſtulans aliquid eleemoſynæ à Rege. Qui mox, dapes ſibi appoſitas, deſerri pauperibus juſſit; ſed & diſcum argenteum confringi, atque iisdem minutatim dividi præcepit. Quo viſo, Pontifex qui aſſidebat, delectatus tali facto pietatis, apprehendit dexteram ejus, & ait: Numquam inveteraſcat tam larga in dando manus. Quod & juxta votum benediſtionis ejus provenit. Nam cum interfecto eo in pugna, manus cum brachio à cetero eſſent corpore reſectæ, contigit, ut hæcenus incorruptæ perdurent. Denique in urbe Regia, quæ à Regina quadam Deſſa cognominatur, loco incluſæ argenteo, in Eccleſia Sancti Petri ſervantur, ac digno à civibus honore venerantur.

12 Ad quod exemplum, & ad illud aliud, quod de Amedeo Sabaudia Duce Chriſti paupe- res loco canum venaticorum largiter exhibente, cujus jam ſuprà mentionem feci (d), commodè aptari poſſunt carmina Claudiani (e) quibus Probum Conſulem ob eandem virtutem ita meritiò lau- dat, & poſteritati commendat:

Hic non divitias nigrantibus abdilit antris
Nec tenebris damnavit apes: ſed largior imbre,
Sueverat innumerans haminum ditare catervas,
Quippè velut denſo currentia munera nimbo,
Cernere ſemper erat populos undare Penates:
Aſſiduus intrare inopes, remeare beatos.
Præcepſ illa manus fluxivos ſuperabat lberos,
Aureo dona vomens, &c.

13 Sint ergo Principes in egenos omnes, & pauperes admodum liberales. Credant hunc ma- jorem Regiis titulis eſſe Pauperum Patrem, & ut Theodoſius, & Valentinianus (f) reſcripſerunt. Nulla profeſſione virtutis, nullaque re alia potius homines Deo, quàm prona hac liberalitate conjungi: Nam cum beneficiorum fontibus genus amplificetur humanum, divinam benevolentiam nobis credimus obligari, unde ſpes tota viciffitudinis expectetur.

Ff 2

Quod

(z) Aventin. lib. 1. ann. Bojor. Sabell. ex Turp. lib.

8. enz. 8.

(a) Jonvil. in vit. Lud. cap. 84.

(b) Baron. tom. 6. ann. Chriſti. 474. ex Prat. ſpir. fol. 175.

(c) Beda lib. 3. hiftor. Angl. cap. 6.

(d) Sup. Emble. 32. in fine.

(e) Claud. in Conſ. Prob.

(f) Theodos. & Valent. in Novell. de bon. Decur.

14 Quod si Thesauros, & numquam deficientes gazas congerere avent, nullam sibi negotiationem quæstuosiorem, nullumvè ampliorem securioremque thesaurum comparare posse, hac, etiam prodiga, in pauperes effusione cognoscant. De quibus Petrus Ravennas (g) merito dicere potuit: *Manus pauperis est gazophilacium Christi: quicquid pauper accipit, Christus accipit. Da ergo pauperi terram, ut accipias Regnum: da micam, ut accipias totum: da pauperi, ut detur tibi: quia quicquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter.*

15 Quod ad Ethnici Martialis (h) mentem respicere videtur, qui idem de qualibet liberali erogationem amicos facta ita eleganter scripsit:

Callidus effracta nummos fur auferet arca,
Prosternet patrios impia flamma lares.
Debitor usuram pariter sortemque negabit
Non reddet sterilis semina jacta seges.
Dispensatorem fallax spoliabit amica;
Mercibus extructas obruet unda rates.
Extra fortunam est, quicquid donatur amicis
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Unde Poëta alter (i)æque prudenter de pauperibus dixit:

Quisquis enim cupidè non expendenda recondit,
Quæ nulli tribuit, pauperibus rapit.

16 Ast verò si Reges ad comparandos, & elendos exercitus egere pecuniis objicias, in quibus Reipublicæ nervos, & gentium quietem consistere, Politici (k) clamant, Audi quid hac etiam in parte pauperum subsidia præstare, Clemens Alexandrinus (l) edoceat: *Coge tibi exercitum inermem, ad bella ineptum, fundendi sanguinis nescium, sine iracundia, sine sordibus; senes pietate præstantes, pupillos Deo caros, viduas mansuetudine armatas, viros caritate ornatos. Tales compara tuis divitiis & corpori, & animæ satellites, quorum Dux est Deus, propter quos & navis submergenda fit levior, solis gubernata Sanctorum orationibus, & morbus fervens domatur, manuum impositione fugatus: & latronum aggressio dearmatur, piis precibus spoliata, & vis demonum frangitur rigidis jussionibus, agnoscens re ipsa quid valeat. Omnes hi milites & tuti custodes, nemo otiosus, nemo inutilis, &c.*

17 Et hæc quidem de elemosyna, & ejus effectibus tetigisse sufficiat, quique plures alios desideret, peculiare tractatus, qui de ea extant, adire poterit. Nos ut huic nostro Commentario colophonem addamus, illud oportune subjungendum, sive submonendum esse censemus, nimirum, in hac, ut in aliis virtutibus, Regum prudentiam, eorumque, qui ipsorum nomine elemosynas dispensare solent, desiderari. Neque enim æqua lance plebeis debent, & nobilibus pauperibus subvenire, ut D. Thomas & alii (m) resolvunt. Maturiusque senibus, quos si fortè mane quæsieris, non subsistent, quàm juvenibus succurrendum est. Puellarum quoque virginum, præsertim orphanarum, matrimonia, ejusmodi largitionibus competenti modo, & tempore factis, ita sunt disponenda, ut pericula, quæ earum sexus ætasque pati potest, celeriter evitentur, cum constet, quantum in his damni soleat ex cunctatione causari.

18 Et hoc planè est, quod præclare, ut reliqua, D. Ambrosius (n) admonuit, dum inquit, perfectam liberalitatem fide, causa, loco, tempore commendari, aliisque circumstantiis, quas apud Gratianum legere poteris.

19 Adde, ipsas quoque elemosynas Regum profusas, nocivas esse posse, si non tam pauperes juvent, quàm faciant, hoc est, si subditi, eis inescati, vel adumbratam mendicitatem profiteantur, vel quam propriis laboribus, officiis, atque artificiiis depellere possent, ignavi ac socordes sub hac confidentia patiantur. Qua consideratione Tiberius Imperator Hortalum Hortensii nepotem, qui inopiæ suæ subsidia poscebat, his apud Tacitum (o) verbis absque ulla largitione rejecit: *Si quantum pauperum est, venire huc, & petere pecunias ceperint singuli nunquam exsatiabuntur, Respublica deficit, languescet atque industria, intendetur socordia, si nullus ex se*

(g) Pet. Rav. in quodam serm.

(h) Martialis. lib. 5. Epigram.

(i) Poet. apud Ribad. in vita Sancti. Francisci. Borgie, lib. 1. cap. 11.

(k) Tacit. lib. 4. histor. Ulpian. I. C. in leg. 1. §. in causa, D. de question.

(l) Clem. Alex. in orat. nuper inventa de divitiis

apud Euseb. in Theopolit. pag. 540.

(m) Div. Thom. & alii in 2. 2. quæst. 32. art. 9. l. 1. de Indiar. guber. lib. 2. cap. 7. ex num. 58.

(n) Div. Ambros. 1. off. relatus in cap. consideranda, & in cap. pasce, 86. dist.

(o) Tacit. lib. 2. Annal.

metus, aut spes, & securi omnes aliena subsidia expectabunt, sibi ignavi, nobis graves.

20 Quæ etiam ratio Imperatores Gratianum, Valentinianum, & Theodosium (p) movisse videtur, ad mendicantes validos inquirendos, & vel servos, vel perpetuos colonos illorum faciendos, qui accusassent ignavam illam, & ociosam mendicitatem. Et Justinianum (q), ad peculiarem Quæstorem creandum, qui de hoc delicto cognosceret.

21 Quibus antiquior Plato (r) nullos in sua Republica mendicos esse etiam patitur, vultque eos à Magistratu expelli, quos mendicitati dare operam viderit. Quod de eis, qui illam affectant, & ociosi ac vagantes vitam transigunt accipiendum est, de quorum inquisitione, & punitione alio loco (s) commodius agemus.

22 Et certè Adrianus Imperator, licèt, Spartiano (t) referente, valdè pius, & misericors in pauperes fuerit, ad Servianum tamen Alexandriae Egyptiæ Præfectum scribens, ut apud Flavium Vopiscum (u) habetur, de Ecclesiæ primitivæ Christianis, qui in ea urbe debebant, commendat, quòd nemo ibi otiosus vivere sineretur: *Alii (inquit) vitrum constant, ab aliis charta conficitur: alii linyphiones sunt: omnes certè cujuscumque artis, & videntur, & habentur. Podagrosi quod agant habent: habent cæci quod faciant, ne chiragrici quidem apud eos otiosi vivunt. Unus illis Deus est, hunc Christiani, hunc Judæi, hunc omnes venerantur & gentes, &c.*

23 Quod sanè, si ut oportet, & sæpè tractatum est, in nostra nunc Republica servaretur, legitimique pauperes, à sophisticis distinguerentur, juxta eorum distinctionem, quàm benè Alexius Venegas (x) scripsit, hi illorum panem non ederent, nec ubique vagantium pauperum examina cerneremus, quorum plures, ut Glossa (y) quædam ait, justius corrigi debent, quàm subveniri. Ideòque Adriani epistolæ consonans Venegas (licèt eam non viderit) in quibus ministeriis, cæci, manci, claudi, utiliter occupari, & simul Reipublicæ deservire possint, sibi que necessaria ad vicium parare, satis luculenter exponit. De quo etiam Dominicus Soto (z), & alii (a) peculiare, alios tractatus elaborarunt; Vanè tamen omnes, cum nunquam ea, qua oportuit cura, de eorum executione actum sit.



EM

(p) L. 1. C. de mendic. valid. lib. 11.

(q) Justin. Novell. 80. de Quæstore.

(r) Plato lib. 9. de legibus.

(s) Inf. Emblem. 87. ubi de otiosis.

(t) Spartian. in Adrian. capit. 22. Sabbell. lib. 4.

eneid. 7.

(u) Vopisc. in Saturn. pag. mibi 245.


(x) Alexand. Venegas in libro de different. libror. fol. 156.

(y) Gloss. in Rubric. de mendic. valid. cap. non omnis 5. quæst. 5. cap. 1. 80. dist.

(z) Dem. Scotus in causa pauper.


(a) Herrer. in su. Albergue de pobres. Navarrete in dicent. polit. cap. 9.

EMBLEMA LXII.
SIC REGAT REX SOLUM, UT SOL REGIT POLUM.



*En Phaetontiacus licet ardor nisus in aethram.
Non superi penitus comprimit axis onus.
Sic prudens regimen populum non comprimat usque,
Ast alio incedens impete, tardet eum.*

COMMENTARIUS.

I  ON satis est Principem, aliis in speculum & regimen datum, iis virtutibus splendere, vitiosè carere, quæ in præcedentibus exposuimus, nisi hæc omnia prudentia temperet, quæ rerum expetandarum scientia communiter diffinitur, sive, ut ex Macrobio (a), & aliis Lessius (b), & Chavasius (c) scribunt: Virtus intellectus, dirigens ad rationis normam universa quæ cogitat, quæque agit, & per quam in omni negotio occurrente novimus, quid honestum, quid turpe, vel illicitum sit.

2 Hujus enim virtutis tanta est præminencia, ut ei primus inter alias locus à veteribus datus fuerit, utpotè quæ inter omnes suum effectum exerat, ut nihil præter rectum, laudabile, temporique conveniens facere doceat, ut jam alio loco (d) insinuavi, plura in ejus commendationem adducens, & latè Petrus Andreas Canonherius (e), & alii (f), plurimi prosequuntur, eam ita præcisè in quolibet Principe requirentes, ut veluti proprium, ac præcipuum ipsius character esse debeat, & secundùm Dionem Chrysostomum (g), latius ab Eusebio Nierimbergo relatam, non minus impossibile videatur, Regem sine prudentia imperare posse, quàm lumine luscum ad res longo intervallo distantes visu pertingere: aut si quis dicat, eum, qui cum adstantibus, ita ut ipsum exaudiant, loqui non potest, totis populis & castris loqui posse, ut exaudiat.

3 Eandemque ob causam apud Ægyptios Mercurii gemini simulachrum sic effectum conspiciatur, ut alterum senilis esset vultu venerandum, alterum florente juvena generosum, ut significarent, Principem cum animi prudentia, vires habere debere conjunctas. Quod ex Sinesio (h) Sed

(a) Macrobi. lib. 1. de somn. Scip. cap. 8.

(b) Lessius de jur. & jur. lib. 1. cap. 1. & 2.

(c) Chavas. de perf. prud. lib. 1. cap. 1.

(d) Sup. Embl. 13.

(e) Canonher. in Aph. 1. pag. 455. & seq.

(f) Khiner. & alii, quos ipse refert Less. & Chavas. sup. Theat. verb. Prudentia.

(g) Dion. Chrysost. in orat. de Regn. Euseb. in Theop.

(h) Senec. in orat. de Regno.

numens Hadrianus Junius (i) hoc Emblema confecit, sub lemmate, Prudentia cum robore conjuncta.

*Viribus Cillenius integris estat;
Junctus cum senio gravi
Robur invictum est, sapientia si
Firmes: qua sine, concidet.*

4 Sed hæc porro virtus, cum semper maximo studio à Regibus quæri, coli, exerceri que debeat, tunc præsertim eisdem necessaria summope erit, cum turbati, malevè jam ab antiquo morati Regni, habenas suscipiunt, quas nisi prudenter, ac temperatè regant, & flectant, ita ut paulatim illud ad meliorem frugem statumque reducant, effrahem forsitan, & in pejora ruentem populum experientur, vel nova imperia tentantem, & tandem agnoscent, uno impetu de uno extremo ad alio traduci non posse, neque præcipitanter, & inconsideratè, sed Pedetentim, ut in Proverbio (k) dicitur, sensim atque cunctanter, ejusmodi negotia aggredi, gerique debere, illudque Titinii (l) verissimum esse:

Sapientia Gubernator navim regit: non volentia.

5 Necnon & vetus Adagium, quo Lentè festinandum esse docemur. De quo Alciatus (m) nobile illud Emblema confecit, Pro Principibus subditorum incolumitatem procurrantibus; ut jam alio (n) loco recolui. Et quo (ut bene Erasmus (o) observat plurima notatu digna ad ejus illustrationem adducens) in tanto proverbiorum numero, nullum est aliud perinde dignum, quod omnibus incidatur columnis: quod pro Templorum omnium foribus describatur, & quidem aureis notis: quod in Principalium aularum valvis depingatur, quod Primatium insculpatur anulis, quod Regiis in sceptris exprimatur: denique, quod omnibus ubique monumentis representetur, propagetur, celebretur: ut quod tantopere expediat semper cujusque observari animo; quod nusquam non occurrat oculis, nulli quidem mortalium non maximo futurum usui, præcipuè tamen Principibus, & iis, quibus, ut verbis dicam Homericis:

Commissi populi, ac tam multa negotia cura.

6 Hoc, ut nos, Nostris (quibus cum loquimur) suadeamus, præsens Emblema ob oculos ponimus, in quo, ut vides, Solem representamus, suum cursum per Sphæræ circumulum, qui Zodiacus dicitur peragentem. Cujus, concors est omnium Astrologorum sententia, non recto per cælum meatu ferri, sed obliquo, leni atque moderato, ut ita Orbis universi machinam æquabili temperie calefaciat: & quamvis non solum in diversum, sed & in adversum Cælorum motum, suos dirigit gradus, illum tamen non usquequaque impedit, sed aliquantisper retardat.

7 Quam quidem similitudinem ex locupletissima Plutarchi (p) pœna deprompsimus, qui, ubi eandem Mathematicorum disciplinam eleganter exposuit ipsam (ut & Nos facimus) ad Reipublicæ regimen transfert, sic inquit: In Republica item nimium directus, & per omnia populi voluntati reluctans, ingratus est tenor, & rigidus, ut contra lubricus, & proclivis, qui peccantes sequitur, cum eò videat inclinare populum, &c. Qua temperatura mundum quoque perhibent Deum regere, non violentia, sed lepore & ratione inducendo leniens necessitatem.

8 Hanc Plutarchi doctrinam Platoni tribuit Gaspar Ensl (q), & eam Regiis Consiliariis adaptat, quos ait pari modo Regum suorum effrahes abruptosvè motus retardare debere.

9 Idem quoque Plutarchus (r), & eo non relato, Erasmus (s), aliam ad hunc eundem finem similitudinem ex arboribus sumunt, inquentes, quod Quemadmodum periculosum est, annosas arbores, quæ jam latè sparsere radices, revellere loco, & aliò transportare: ita Rempublican, longo tempore suis in veteratam institutis, ad aliam vitæ rationem traducere non licet citra maximos rerum motus.

10 Neque abest aliud simile, quod ab iis, qui equos domant, potest desumi, qui primum blandiuntur ac mollissimè tractant, ut assuescant, frano, quo exemplo, sic populum lenitate subeundum, Erasmus (t) animadvertit. Apud quem plura etiam alia huc spectantia leguntur, dum illud Adagium (u) explicat, quod nos Scenæ servire admonet, id est temporis, & rebus presentibus accommodare. Sed ne à Solis orbita, quam premere cœpimus, recedamus, vo-

(i) Junius Embl. 13.

(k) Erasm. in hoc Adag. pag. 680.

(l) Titin. apud Nonium, & Erasm. pag. 764.

(m) Alciat. Embl. 143.

(n) Vide supra Embl. 13.

(o) Erasm. in Adagio Festina lente, pag. mibi 340.

& seqq.

(p) Plutarch. in vita Phocion in Proem.

(q) Gasp. Ensl. in nuc. hist. pol. 2. part. cap. de Consilio, & Consil.

(r) Plutarch. in moral.

(s) Erasm. in similibus fol. 4.

(t) Idem eod. loco, fol. 5.

(u) Idem in hoc Adagio, pag. 637.

cari quoque rursus ad partes potest idem ipse Plutarchus (x), qui alibi, non minus scitè in Principibus oportere inquit, ut ratio, atque sapientia sua gravitate copescat reprimatque potentiam illorum, qui facile uno ictu coerceri non possunt: utque Solem intendit, qui ad summam eventus altitudinem in partibus Septentrionalibus, lentissimè movetur, tarditate suum cursum rectum efficiens.

12 Sed quid in creaturam exemplis recensendis immoror, cur Deus ipse, summus earumdem Creator, & Governator, eadem prudentia, & providentia in reus magnis, atque arduis disponendis, & exequendis utatur. Atingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter, ut in libro Sapientia (y) docemur, & rhetoricè, ultra pures alios, Joannes Boterus (z) prosequitur, anni tempora, inter alia, exempli gratia, perpenens, quæ, ordinante Deo, ex Æstate ad Hyemem deducuntur; sed ita tamen, ut hinc Veris, inde Autumni benignitas interveniat, ne de uno extremo in aliud cum hominum damno sine hæc temperatione prolaberentur. Quod bene agnovit Virgilius (a) dum cecinit.

*Nec res hunc tenere possent perferre labrem,
Si non tanta quies inter frigusque calomque
Iret, & exciperet cæli indulgentia terra.*

13 Atque adeo sic planè verissimè alibi exclamat Boëtius (b):

*O felix heminum genus,
Si vestros animos amor,
Quo cælum regitur, regat.*

Quia nemo, ut bene quidam Neothericus (c) monet, sibi imperadi genus firmum, stabile, diuturnum spondere ausit, quod non divini simulachrum gerat, & celi ordinis armoniam, ei velut correspondendo, repræsentet, cum ad disciplinam mundi superiori, ista inferioris ordinata sit, & juxta D. Cypriani (d) monitum: *Æquissimum sit, ut quemadmodum ad divinum Imperium de terrenis mutuumur exemplum; sic cælestis Imperii similitudine terrena metiamur.* Et in hoc, de quo agere cepimus dicere cum Poëta possimus:

*Solem quis dicere falsum
Audeat.*

13 Cujus exemplar, quoniam Cato imitari nescivit, ab eodem Plutarcho (e) justè reprimi meruit, quòd cum esset eo ingenio, iisque moribus, ut seipsam mutare, & Sallustii verbis utar, naturam versare, minimè posset, non modò suæ Reipublice nihil profuit, quam prorsus voluit ad suos mores attrahere; sed potius valdè obfuit, & in Consulatu repulsam tulit, & de eo Cicero (f) sic in quadam epistola scribere potuit: *Nam Cætarem nostrum non tu amas plus quam Ego; sed tamen ille optimo animo utens, & summa fide, nec interdum Reipublicæ, dicit enim tamquam in Platonis Politia, non tamquam in Romuli face setentiam. Cum tamen non minus sit probanda medicina, quæ sanat ægras Reipublicæ partes, quam uæ exsecet.*

14 Cui mirè conveniens Aristoteles (g) optimè docuit, non solum Rempublicam, quæ optima sit, considerari debere, sed etiam quæ constitui possit, quæque facilius, & cunctis civitatibus communior habeatur. Et alibi rursus (h), *incipitem, & periculosam nimis esse mutationem, quæ subito, & cum quadam violentia suscipitur, faciliorem autem, quæ sensim, & paulatim declinando fit.*

15 Est enim rebus in omnibus modus adhibendus, nec de extremo ad extremum transitus nisi per media faciendus, & quemadmodum medici inveteratos corporis morbos, paulatim expellunt, & corpus expugnant, atque reficiunt: ita qui Rempubliam curant, velle non debent eam, uno ictu, aliò longissimè aberat, fracto ejus impetu, trahere, sed Horatianum (i) illud pensare:

Est quodam prodire tenus, si non datur ultra.

16 Et juxta personarum, temporum, & locorum qualitatem prudenter curare, commissam provinciam ex mala meliorem, & postea ex meliori optimam (si possit) efficere, eosdemque rursus medicos imitari, qui, ut bene monet Canonberius (k) naturæ morborum se se accommodant, humores qui sunt educendi, educunt; quartanam ex contumaci superboque humore genitam, non purgant, quia id sine totius corporis confusione efficere non possunt.

(x) Plutarch. in lib. ad Princ. in doct.

(y) Sapient. 8.

(z) Boter. in relation. univers. lib. 2. in princ.

(a) Virgil. 2. Georg.

(b) Boet. de Consol. lib. 2. met. 8. in fin.

(c) Theod. Gransvic. in tract. de jure Majest. pag. 67.

(d) 68.

(e) Div. Cyprian. de idol. vanit.

(e) Plutarch. in Æt. Proam. ad vit. Phocionis, vers. Hæc Catoni.

(f) Cicero. ad Att. lib. 2. epist. 1.

(g) Arist. 4. polit. 1.

(h) Idem 6. polit. cap.

(i) Horat. lib. 1. epist. 1. ad Mecen.

(k) Canonher. in Æthor. pag. 498.

Quod

16 Quod, ne Pilatus quidem (alioqui pessimum judicem) latuit; nam ut Josephus (l) enarrat, cum statuas Cæsaris in Templo Jerosolymitano collocari jussisset, videns tamen populi pertinaciam, qua citius mortem oppeteret, quam statuas in Templo servare volebat, cessit ei, atque statuas deposuit, quamquam armato exercitu, ad hanc rem instructo, potuisset simul omnes, qui parere nolebant, facile trucidare.

17 Sic & magnus ille Moyses (m), quamvis à Deo legis tabulas accepisset, eas confringere satius duxit, quam populo edice: cujus mentem à legum observantia, & executione tunc temporis prorsus alienam cognovit, cum eundem vitulum adorantem invenerat. Et de Augusto valdè ad rem nostram Dion (n) Cassius scribit: *Non omnia statim uti decretum erat executus est, virtus ne parum succederet, si simul homines transferre, & invertere vellet, sed quedam in tempore disponens, quedam rejectit in tempus.*

18 Tiberius quoque apud Tacitum (o), licet imperandi artem satis caluerit, cum de renovandis sumptuariis legibus in laxato jam populo tractaretur, Patribus videndum proposuit, an non potius esset omittere adulta, & prevalina vitia, quam illud assequi, ut palam fiat, quibus flagitiis illi qui imperant, pares esse non possint. Et alibi (p), ausus non fuit, permissos dudum ab Augusto ludos in posterum prohibere, ne populam per tot annos molliter habitum, ad duriora vertere videretur.

19 Est quippè Populis semper aliquid condonandum, dum (ut idem Tacitus (q) ait) nec totam servitutem, nec totam libertatem pati possunt. Et ut nuperus noster Politicus (r) optimè monet: *Quando se pueat temer algun daño, è inconveniente notable, es gran destreza del Principe, gobernar el pueblo con su mesma rienda, è ir al paso de su ignorancia.*

20 Quod prius Plutarchus (s) his verbis edocuit: *Qui in administrandis rebus ita versantur, ut ad salutem, publicamque commodum, velut ad metam aliquam, sua consilia dirigant, non nihil interdum civium gratia, & voluntati concesserint, nec singula, velut ad filium redacta, velint severitate potius & vi, quam mansuetudine & humanitate conficere, hi mihi planè videntur sapientissimè secundarum rerum viam incedere.*

21 Cui consonat illud Ciceronis (t) *Cum Populum persuaderi posse diffidimus, cogi fas esse non arbitramur.* Et Natalis Comitii (u) sic inquit: *Nam certè quidem aliquando concedenda sunt urbibus quedam impunitates, quæ & illæ servantur, & reliquæ invitentur illarum exemplis ad accipiendum imperium, oblata spe humanitatis, & clementiæ, ut enim quedam concedenda convalescentibus corporibus, aut nauseantibus, non quia salubria sint, sed quia per hæc sibi videantur quodammodo recreari: sic malè affectis civitatibus, quedam conceduntur utiliter, ut alacres postmodum sint ad cetera munia exequenda.*

20 Et hinc fluxit celebris illa Magni Theodosii apud suum Panegyristam (x) laudatio, ac commendatio, dum inquit: *Non contentus ipse ultro vitia rejecisse, alienis vitii corrigendis, curam adjecisti: idque moderatè, ut suadere potius honesta, quam cogere videretis.*

23 Cassiodorus (y) quoque eleganter, ac prudenter ostendit, suum Regem Theodoricum populis ludos Circensēs indulgisse, & præmiis victores aurigas remunerasse, etiam si cognosceret in illis ab honestis moribus aliquantum excedi, sic finiens: *Hæc nos fovemus necessitate populorum, imminentium, quibus votum est ad talia convenire; dum cogitationes serias delectantur obficere. Quapropter largiamur expensas: nam semper ex judicio demus. Expedit interdum desipere, ut populi possimus desiderata gaudia continere.* Planè etenim, ut egregiè scripsit Muretus (z), si qui equis, elephantis, camelis, aliisque animalibus præsent, observant diligenter, quibus illi rebus oblectentur, & mulceantur, summoque studio illa persequuntur, hæc vitant; quo magis idem faciendum est iis, qui homines regunt.

24 Quam Regendi, Regnandique artem Galba parum intelligens, vel observans, militaremque disciplinam, aliosque corruptos Reipublicæ mores, quibus Neronis tempore Populus assueverat, uno impetu ad priscam observationem reducere volens, paucis mensibus, ut Tacitus (a), & Suetonius (b) tradunt, tenuit Imperium, majorque privato visus, dum privatus fuit, & dignus Imperio, si non imperasset.

25 Idemque Pertinaci contigisse, Spartianus (c) commemorat, dum simili studio laxationes sub Imperio Bommodi avidè à Populo Romano receptas, simul atque ejusdem Imperii habenas

Gg

(l) Joseph. lib. 18. antiq. cap. 9.

(m) Exod. cap. 32.

(n) Dion. lib. 62.

(o) Tacit. 3. Annal.

(p) Idem 1. Annal.

(q) Tacit. lib. 1. hist.

(r) Saaved. Empr. 46. in fin. pag. 312. vide eundem

ex pag. 281. ad 283.

(s) Plut. in præc. polit. & apud Can. ubi sup. pag. 497.

(t) Cicero. lib. 1. fam. epist. 9.

(u) Natal. Com. lib. 23. hist.

(x) Facet. in Paneg. Theodos.

(y) Cassiod. lib. 3. epist. 51. ad fin. cujus etiam me-

mini sup. Embl. 31. in fin.

(z) Muret. lib. 2. in Tacit.

(a) Tacit. lib. 1. hist.

(b) Sueton. in Galb.

(c) Spart. in Pertin.

suscepit, emendare curavit, oblitus illius moniti Lucani (d):

Mitissima sors est
Regnorum sub Rege novo.

Et doctrinæ Philosophi (e) præclare tradentis Non minus negotii esse Rempublicam emendare, quam ab initio constituere.

26 Quæ quidem Gentilium monita & exempla, pluribus aliis, & securioribus Sanctæ Nostræ Almæ, & Catholicæ Ecclesiæ firmitatem accipiunt, cum suis primitivis temporibus, quorum vestigia hucusque perdurant, Ethnicorum, qui ad eam transibant superstitiones, & festivitates; multoties, in eorum solatium retinuit, causam tamen earum immutans, ac veluti sacris ritibus expians, & in Religionis nostræ meliorem observationem traducens, sic Barbaricæ feritatis ritus, quos in totum evellere non poterat, sensim amputans, vel, ut Sol Emblematis nostri, retardans, ut de Cereorum, Equestrumque ludorum, & aliis similibus festivitibus, Baronius, & alii (f) passim animadvertunt, & ante eos Vetus Breviarum (g), à Fr. Joanne Poetano relatum, cujus verba sic habent: *Prospiciens Ecclesia, quod non de facili eos à tali consuetudine revocaret, cogitando tractavit, ut observantia sic maneret, sed potiore nomine militaret.*

27 Et idem, de Anglis recenter ad fidem conversis loquens, D. Gregorius Magnus (h) consulit, monens, ut propria fana, & immolationes animalium, quibus antea utebantur, illis relinquereentur, dum tamen hæc in cultum veri Dei convertere suadeantur, & hanc, rei de qua agimus aptissimam rationem subjiciens: *Nam duris mentibus simul omnia abscindere, impossibile esse non dubium est: quia is qui summum locum ascendere nititur, gradibus, vel passibus, non autem saltibus elevatur.*

28 Quod & ipsum in reliquis, quæ ad meliorem recens conversorum tractationem, & allevationem spectant, cavere debere, idem Gregorius (i) & Isidorus (k) his quæ sequuntur verbis pro regula tradunt: *Primordia conversorum blandis refovenda sunt modis, ne si ab asperitate incipient, exterriti, ad priores lapsus recurrant. Qui enim conversum sine lenitate erudit, exasperare potius, quam corrigere novit.*

29 Idemque prorsus est, quod nunc Nostris Principibus suademus, non quidem ea mente, ut vitii indulgeant, sive conniveant, cum potius semper illis excindendis, & puniendis, vigili admodum cura intendere debeant, ut alio loco (l) dicemus, sed ut discant, ea quæ altis fulta radicibus, uno impetu avelli, atque extirpari citra grave periculum nequeunt, sensim, & pedetentium iis, quibus possint modis, retardare, & labefactare, eorumque fomenta, ne uberius, & ulterius serpent, sed ut illis viduata exarescant & cadant, paulatim extinguere. Nam ut præclare monet Ovidius (m):

Judicis officium est, ut res ita tempora rerum
Querere: quesito tempore tutus eris.

30 Quod si, eodem ipso Ovidio (n) æquè verè, atque eleganter tradente, Tempus omnia perficit, ac maturat, & cuncta potest tacito pede lapsa vetustas:

Tempore ruricole patiens fit taurus aratri,
Præbet, & in curvo colla premenda iugo:
Tempore paret equus lentis animosus habenis,
Et placido duos accipit ore lupos.
Tempore Pænorum compescitur ira leonum,
Nec feritas animo, que fuit ante, manet:
Queque sui jussis obtemperas Inda magistri
Bellua: servitium tempore victa, subit:
Tempus ut extentis tumeat facit uva racemis,
Vixque merum capiant grana quod intus habent.
Tempus & in canas semen producit aristas,
Et ne sint tristi poma sapore facit.
Hoc tenuas dentem terram renovantis aratri,
Hoc rigidos silices, hoc adamanta terit.

Hoc

(d) Lucan. lib. 8.
(e) Aristot. lib. 4. Polit. cap. 1. vide Saavedra Empres. 59. pag. 440.
(f) Baron. in Martyr. 2. die Febr. & 1. Aug. Durand. Benzon Dom. Laur. Ramir. de Prado, & alii apud Me 2. tom. lib. 1. cap. 24. num. 27. & seqq.
(g) Vet. Breviar. apud Pont. in Monarc. Hisp. lib. 3. cap. 13. pag. 91.

(h) Div. Greg. lib. 10. Regum epist. 71. Acost. de proc. Ind. Sal. lib. 3. cap. ult.
(i) Div. Gregor. lib. 24. Moral. cap. 7.
(k) Div. Isidor. lib. 2. sent. cap. 8. Ego 1. tom. lib. 3. cap. 8. num. 7.
(l) Inf. Emb. 62.
(m) Ovidius 1. Trist. 1.
(n) Idem 4. Trist. eleg. 6.

Hoc etiam sævas paulatim mitigat iras;
Hoc minuit luctus, mæstaque corda levat.
Eximit ipsa dies omnes de corpore mendas,
Quodque fuit vitium, desinit esse mora.

31 Nihil sane est, cur non pariter de hominibus speremus, flecti etiam tandem, & ad meliorem frugem reari posse, si frænis leniter motis regantur, & dirigantur, opportunisque mediis, atque temporibus, dura licet ipsorum cervix placido jugo subdetur, ut bene aliud agens Simon Majolus (o) scripsit, & in nostri Emblematis terminis Plinius Junior (p), in uno ex suis Epigrammati, inquit:

Sic hominum ingenia flecti Ducique per artes;
Non rigidas, docta mobilitate decet.

Docente quippè tuintiliano (q): *Brevis est institutio vitæ honestæ, beatæque si credas. Natura enim nos ad memm optimam genuit, adedque discere meliora volentibus promptum est, ut verè intuenti, mirum ut illud magis, malos esse tam multos.*

32 Et rursus (r), adhuc melius, & ad rem de qua agimus accommodatius, expendens, quomodo homine hac ratione & temperatione ducti, casas pro domibus, pellium tegmina pro vestibus, montes ac sylvas pro urbibus commutaverint, sic statim subjicit: *Quæ porò ars statim fiat? Quid in oculo mitescit? Cur vites coercemus manu? Cur eas fodimus? Rubos arvis excidimus? Terræ & hæc generat. Mansuefacimus animalia? Indomita nascuntur. Verùm id est maxime naturale quod fieri natura optime patitur.*

33 Quod vò Regibus in hoc nostro Emblemate Solem imitandum proposuerimus, ex ejusdem Plutarchi (s) disciplina desumitur, qui nullum aliud præstantius exemplar invenit, quo Regum dignitas & officium manifestetur, ut jam supra (t) aliud agens ostendi, & pluribus prosequitur Ægidius Romanus (u). Nos hæc tetigisse contenti, ad alia properamus, ab Anacleto (x) Papa commoti, quod supervacuis laborat impendiis, qui Solem certat facibus adjuvare. Adhuc tamen Dinem Nizenum (y) addentes: qui eleganter admodum supremum Principem cum Sole componit, ac subdit: *Sol facit, & discernit horas, annique tempora, auget, & minuit omnia animalia, plantas alit, & fructibus ac foliis convertit: suppeditat suavissimum ac pulcherrimum spectaculum nempe lucem, & hæc omnia non gravatur, gratis impartiri. Et in estate proprius ad nostam habitationem accedit, ut omnia nutriat, omniaque perficiat. Cujus similitudinis accomodatinem, licet ipse Dion tamquam apertam, & perspicuam omittat, bene tamen eam explicat, & prosequitur noster Quintinus Salazarius (z), inquit: quod sicut Sol accedens, ac recedens, quatuor anni tempora absolvit; & quidem cum accedit, mitissimas illas placidasque tempestates efficit; scilicet ver, atque æstatem, quibus omnia florent, & plantæ fructu, frondibusque onerantur. Idem autem cum recedit, mitissimas illas accedens, ac recedens, quatuor anni tempora absolvit; & quidem cum accedit, mitissimas illas placidasque tempestates efficit; scilicet ver, atque æstatem, quibus omnia florent, & plantæ fructu, frondibusque onerantur. Idem autem cum recedit, mitissimas illas autumnum scilicet atque brumam causat, quibus omnia glacie tabescunt, & plantæ fructu frondibusque orbata dehonestantur. Sic etiam cum Princeps adest, & tamquam Sol instat, imminetque Reipublice, aut Regno, illud sanè, arboris proceræ in morem, fœcundatur, fœlixque & fortunatum est: ceterum cum recedit, aut omninò abest, omnia in contrarium existunt. Quod etiam pariter evniet, nisi temperatè & opportunè, ut nostrum monet Emblemate suum peragat cursum, sosque radios emittat, & attentè consideret,*

Cives positos sub lege novella,
Quæ leniter poterant, vix posse durè pati.



Gg 2

EM-

(o) Majol. colloq. 2. pag. 55. & seqq.
(p) Plin. Jun. i Epigram.
(q) Quintil. lib. 12. cap. 11.
(r) Idem lib. 9. sp. 4.
(s) Plutarc. in malib.
(t) Sup. Emb. 3. ad fin. & Emb. 11.

(u) Ægid. Roman. in tract. de Regim. Princ.
(x) Anacleto. in cap. si omnia 6. quest. 1. glos. verb. Plenitudine, in Extravag. ad onus, de elect. Joann. XXII.
(y) Dion Nizen. in orat. 3. de Regn.
(z) Salaz. in Proverb. cap. 11. vers. 14. numer. 65. colum. 991.